

2
3
4
5
6
7
8
9



1675.

1. Boetticher, Johannes Henricus : De praesumptionibus
- 2^{ae} Boetticher, Joh. Henricus : De jure sigillorum
3. Calvoriüs, Casparus : Contractus et promissa. Decas
quaestionum concernentium.
4. Clasenius, Daniel : De effectu rei judicatae.
5. Clasenius, Daniel : De consuetudinibus.
6. Eisenhart, Joh : De tetorum propria facti scientia.
Oratio . . . , cum . . . professori non juris publicam
caperent
- 7^{ae} Engelbrecht, Georgius : De pluralitate votorum
2 Exempl.
- 8^{ae} Engelbrecht, Georgius : De operis rusticorum . . .
9. Hempell, Petrus Christophorus : De advocatio
10. Merbonius, Henricus : De phthisi.
11. Seidensticker, Antonius : De furibus ferarum .

12. Wffelmans, Henricus : De homagio
13. Witte, Joannes Michael, von : De potestate maritali

ls.



12. *W. H. ...*
 13. *W. H. ...*



12
DISCURSUS ACADEMICVS
DE
PLURALITATE
VOTORUM

Q V E M
DIVINA FAVENTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ENGELBRECHT
J. U. D. INSTIT. IMPER. ET IVR. CRIM.
IN ILLVSTRI HAC IVLIA PROFESSO-
RIS PVBLICI ET ORDINARII DN. PATRONI,
PRÆCEPTORIS AVNCULI ET HOSPI-
TIS PLVRIMVM COLENDI

Publicæ Eruditorum disquisitioni subijcit

PAULUS THEODORUS CONERDINGIUS

Theod. Fil.

Autor

AD DIEM JUNII

IN MAIORI NOVI IVLEI AVDITORIO



HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typogr.

Anno MDCCCLXXV.



89
7675, 79
8

12
P. 44

191





I. N. D. N. I. C.

THESIS I.



Um in omnibus omnino rebus videamus naturam ad ultimum suo quodam itinere & naturali quasi instinctu pervenire ac ferri, adeo ut quælibet res illo ultimo h. e. fine suo destituta pro imperfecta habeatur, necessum quoque est, ut quævis societas certum & ultimum sibi propositum habeat finem Aristotel. *1. Pol. 1.* Nec interest utrum homines naturâ ad societatem in eundem ducantur, an vero talis solum ex humano instituto dependeat, utrum quædam ex paucis constet personis, an vero ex pluribus & integris societatibus sit congesta, utrum illa sit inter æquales & pares an vero inter dispares, utrum denique talis inveniat Recta, an vero aberrans, omnes dico suos fines eosque notos habere debent, *cognitis enim rerum finibus, cum intelligitur, quid sit & bonorum extremum & malorum: inventa vitæ via est, conformatioq; omnium officiorum. Cic. lib. 5. de fin.*

II.

Quamvis autem unaquæque societas etiam finem suum cognitum habeat, dubito tamen, num eundem statim obtinere queat, nisi primum ejusmodi adhibeat
media

media, quæ ad illum obtinendum sint idonea, cum nulum finem absque mediis adhibitis assequi possimus; De his itaque omnino in quavis societate deliberandum esse probat Aristotel. *1. Rhet. 4.* ubi simul, quomodo de illis deliberandum sit, eleganter docet, nec enim deliberamus, nisi certis quibusdam positis, quæ fini sint accommodata & proportionata, quæque omnibus circumstantiis hujus vel illius finis conveniant, Et hinc oritur Consultatio, quæ nihil aliud est, quam investigatio mediorum ducentium ad finem certum sive secundum Aristotelem *lib. 6. Eth. cap. 10.* est recta quædam agitatio mentis ex utilitate ad finem accommodata.

III.

Ad hanc autem Deliberationem vel Consultationem de variis rebus ad finem consequendum necessariis instituendam, cum unus non sufficiat, (unius enim hominis ætas & conditio non patitur, ut in plurimis rebus versetur colligatque singularia, sed hic potius verum est, *pluribus intentus minor est ad singula sensus*) necesse est, plures adhibeantur ad ejusmodi inveniendum, quod ad finem cujusvis societatis obtinendum faciat. Id quod nostra Respubl. Romano-Germanica quoque confirmat: dum omnes Ordines una cum Imperatore de iis quæ ad τὸ κοινόν pertinent deliberare debent. Sicuti expresse hoc asseritur in der Ordnung des Regiments *de anno 1500. Tit. von den zwanzigen R. N. Anno 1559 §. damit dann hinzühro 38. R. N. Anno 1570. §. weiters nach dem auch. 42. jung. elegans locus ex instrumento Pacis Cæsareo. Suecico art. 8. §. Gaudeant sine contradictione. 2. 3. & 4.*

IV.

Plures tamen si Deliberationi intersint ab intellectus & voluntatis humanæ imbecillitate & ob naturalem

lem

lem ad dissentiendum facilitatem, quemadmodum con-
queritur Jctus Vlpian. in l. 17. §. 6. ff. de recept. qui arbitr.
unanimes consensu in unam sententiam coire raro solent,
ideo, ne res careat exitu, uti Vlpian. in eadem lege loquitur
neve Collegium ac Respubl. dilabatur, prudenter intro-
ductum, ut, quod per veram plenamque concordiam ef-
fici nequit, id per eam, quæ talis est fictione juris & è
plurium sententia desumitur, efficiatur: creduntur enim
merito rectiora, quæ pluribus placent Aristot. lib. 4. Pol. c.
8. & l. 6. Pol. c. 2. Imò quod plures fecerunt, id omnes
fecisse videntur l. 19. ff. ad Municipal. l. 160. §. 1. de R. I. ibiq;
Magnif. Dnus Eichelius. l. 3. 4. 5. ff. quod cujusque univ. no-
mine. cap. 28. X. de Elect. cap. ult. X. de iis quæ fiunt à maj.
part. cap. Quod autem plurium sive majoris partis con-
sensus sufficiat, nititur eleganti ratione, quoniam si o-
mnium & singulorum sententiæ specialiter requiri debe-
rent, negotia universitatum & Collegiorum non facile
expediri possent l. 2. §. deinde quia facile ff. de Orig. Jur. pro-
pter paulo ante allatam naturalem imbecillitatem David.
Mæv. ad I. Lubecens. lib. 1. Tit. 1. Art. 2.

V.

Hoc itaque jus majori deliberantium parti conces-
sum, cum tantæ sit dignitatis, tantæque utilitatis, ut in-
finitas aliàs lites statim dirimere possit, brevibus pro mo-
dulo ingenii, proponere, & ea quæ ad materiam hancce
potissimum referri possunt, attingere, mei nunc est pro-
positi, si prius monuerim, me jam tum usum esse & sæ-
pius posthac usurum pluralitatis vocabulo, quod quidem
apud Classicos Latinos scriptores vix reperire licet, lon-
go tamen usu ita receptum esse, ut latinitate donatum
videri queant, imò terminum artis apud Jctos & alios
esse, satis constat, vid. Instrum. Pac. Osnabr. Art. 5. §. 51.

verb. non attenda votorum pluralitate. Sine vitio igitur & me quoque illud adhibere posse confido.

VI.

Haud abs re tamen fore existimo, si non nulla præmittantur, quæ in genere ad votum, quod Latinis suffragium dicitur, spectant. nec tamen operæ pretium multis in derivationem vocabuli inquirere. Describi itaque statim poterit, quod nempe Votum sit Declaratio sententiæ à quovis deliberantium de re ad Consultandum proposita animo conceptæ. Ad quam declarationem sententiæ nisi consultantes demum pervenirent, frustra deliberaretur in qualibet consociatione, cum deliberantibus certi aliquid statuendum sit, quod absque ejusmodi declaratione fieri vix potest. Hæc autem declaratio cum multis modis differat, lubet quoque præcipuas ejus differentias, quasque notas habeo, hic apponere.

VII.

Cum autem vota deliberationes & Consultationes pro fundamento habeant, & exinde demum proveniant: ei vero, qui consultent, duorum sint quasi generum; alii enim hoc faciunt absque Potestate executioni mandandi id, quod consultando conclusum fuit; alii vero non tantum consultant ac decernunt, verum etiam id quod decretum est, executioni mandare possunt, ideo Vota & Suffragia haud incommodè dividuntur in Consultativa & Decisiva. Hæc feruntur ab iis qui cum potestate consultant: Illa ab istis qui exequendi potestate carent. Dn. Doct. Meier. in *Analysi ad Pol. Arist. l. 4. c. 14. in exeg. CLXXIX.* Deinde dividuntur Vota in Affirmativa & Negativa in Comprobandi & Improbandi. Idem Dn. Meier in *privatis discurs. ad eundem Aristotelis locum habitis*: Cum consultantes rem deliberandam Reipublicæ vel

vel cuilibet universitati, in qua proponitur, conducere aut affirmant, aut negent, & suffragia jam tum ea de re lata vel comprobent vel ab eis discedant. Ubi hoc simul monendum, quod non nulli ad consentiendum & approbandum adeo proni inveniantur, ut nescio ob quam causam vel intempestivum metum dissentire à prioribus, ipsis quasi sit religio, & Germanico Idiomate appositè dicuntur die Ja-herrn. Dantur demum vota quasi mixta, quando suffragia jam tum lata partim comprobantur, partim ab iis receditur, & hoc fieri solet, si res deliberanda duo vel plura membra in se contineat.

VIII.

Porro multum interest an vota sint simplicia i. e. absque ratione; an vero conjuncta cum ratione sæpius enim è re est collegii ac universitatis, ut quisque consultans rationem sui voti succincte reddat, exiguntur autem illæ rationes variis modis, vel rationes probandi & decidendi tantum, vel dubitandi & decidendi simul, quæ si voto vel consilio jungantur possumus illud jure meritoque Plenum nominare. Dein quoque non perinde est, utrum scripto an ore, utrum seorsim, an in ipso conventu, omnibus præsentibus ac audientibus suffragia ferantur. Prius iterum bifariam fieri potest, vel enim spatium meditandi conceditur domi, vel statim ac in Senatu capita, uti ajunt, deliberandi proposita sunt, vota seorsim colliguntur. Et plurimum interest, utrum quis instructus accedat nec ne, nonnunquam enim satius est cum instructione in rebus præcipue maximi momenti ad Consilium accedere. Ita in nostro Imperio capita in Comitibus tam universalibus quam circulatorum deliberanda eorum statibus ac legatis prius communicari solent. Denique distinguuntur vota in occulta & Manifesta, Hæc quando

quando constat quis hoc vel illud votum tulerit, illa sunt quando hoc non constat. Nec tamen & hanc differentiam prætereundam censeo, qua vota feruntur vel prævio juramento vel non prævio juramento. Illius infigne exemplum habemus in electione Imperatoris Romano - Germanici, ubi Electores non prius ad Electionis actum quam juramento præstito admittuntur. Aur. Bul. *Tit. 2.* Demum & illud addendum, quod vota vel viritim vel curiatim ferantur, uterque suffragii ferendi modus tam in Comitibus Imperii quam in provincialibus auf den Reichs und Landtagen obtinet. Singuli enim ordines ac status tum Imperii, tum provinciarum primum in suis Collegiis ac Curiis viritim, postmodum in universum Curiatim suffragia ferunt, & tandem si conspiraverint, eorum unanimis sententia, vel si inter se dissentiant, discrepantia suffragia, in Comitibus Universalibus Imperatori, aut ejus Cancellario ac Consiliis proponuntur. Severin. de Monzamban. *cap. 5. §. 26.* Dn. Hugo *indisertat. elegant. de Statu Region. German. cap. 4. thes. 32.* De quibus tamen omnibus & singulis speciebus & votorum differentiis singulorum locorum consuetudines & Statuta accuratè attendenda sunt; modum enim vota colligendi pro diversitate locorum variare, experientia clarè testatur.

IX.

Perspectis ita variis votorum differentiis non est quod ulterius ipsa tractatio differatur: de justo igitur ordine sollicitus, huic materiæ hunc optime convenire credo, si præmissa pluralitatis votorum definitione de personis primum agam, quæ votum ferant, quæque pluralitatem constituere possint; postmodum discutiam, in quibus

quibus rebus pluralitas locum habere possit, in quibus non: postulabit tunc ordinis ratio, ut agatur de modo, votorum colligendorum & computandorum, quem subsequetur ultimo loco ipse effectus pluralitatis votorum.

X.

Describi autem poterit pluralitas votorum per Remedium juris, quo discrepantibus Collegarum suffragiis, plurium sententia, omnium esse censetur. Et rectissime remedium vocamus, quia quasi medetur incommodis dissensus & inde alias oriundam dissolutionem societatis præcavet. Remedium est, conducens ad id, ut salutaria consilia bono potiantur fine, nec Reipubl. necessariae deliberationes frustra dissipentur, quanto autem cum malo Reipubl. hoc conjunctum sit, leviter saltem harum rerum perito ob oculos versatur. Nec minus apte nominatur quoque Remedium aliquod juris, cum non solum juri naturæ congruat, sed & apud Gentes passim receptum nec juri Civili nec Canonico ignotum sit, & tam in communi Imperii Romano Germanici Republica quam in singulis ejus regionibus & Ducatibus observetur.

XI.

Juri Naturali pluralitatem votorum convenire elegantissime ostendit H. Grotius *de Jure B. & P. lib. 2. c. 5. §. 17.* cum primo naturalis quædam præsumptio pro majore parte militet, hanc enim majori perspicaciâ circa res agendas valere ex vulgato illo apparet, quod plus videant oculi quam oculus: *jung. Aristoteles lib. 3. polit. c. 7. p. m. 173. in verbis: multos namq; quorum unusquisq; quod licet aliquando fallat, quemadmodum notavit Seneca de vita beata lib. 2. Non tam bene cum reb^o humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, tamen nullam aliam negotia expediendi rationem esse posse ex sequentibus & ex parte supra dictis haud ob-*

B

scure

scurè apparebit. Ponamus enim in Collegio quosdam & dignitate & meritis & genere potiores dari, jure tamen omnes æquales esse, quo muniti non patientur, ut personarum diversitas attendenda sit & ipsis quæsitum æqualitatis jus auferatur, de quo loquitur Plinius Secund. *Epist. 12. l. 2. Sed hoc pluribus visum est. Numerantur enim sententiæ non ponderantur, nec aliud in publico Consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa. Nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est.* Et haud proficuum quoque videtur, si sanior sententia, cum quisque talis videri cupit, obtinere contra plures debere: quia enim imprudentiæ manifestissimæ argueretur, qui cederet, nunquam vel raro hoc fiet & sic deliberationes vel plane nullos vel sic satis difficiles non sine Reipubl. detrimento, sortentur exitus. vid. David Mæv. ad I. Lubec. *lib. 1. tit. 1. art. 2. & seqq. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 7. def. 2.* Deinde Grotius in eodem loco secundum fundamentum majoris partis in æquitatis ratione ponit dicendo, *in iis rebus ob quas consociatio quæquæ instituta est, universitas & ejus major pars obligant singulos, quia credenda est fuisse voluntas in societatem cœuntium, ut ratio esset aliqua expediendi negotia: est autem manifestè iniquum, ut pars major sequatur minorem. quare naturaliter seclusis pactis ac legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri.* Tertio ex cit. loc. Grotii non nulli & hoc eliciunt, quod id, quod quisque vult in sua causa, si nempe nullum aliud est remedium, id quoque debeat in aliorum causa velle, jam præsidium majoris partis ita comparatum est, ut quisque in propriâ causa id exoptet inque eo acquiescere velit: ergo nec in aliis negotiis id recusandum erit. Osiander ad H. Grotium *cit. loc.*

XII. Et

XII.

Et apud Gentes quam plurimas hoc jus pluralitatis receptum fuisse, satis constat. Ita apud Hebræos non nullis casibus in usu fuisse adducit inter alios Socius Religionis, pag. 99. *Instit. ad Exod. 23. v. 1. 2. 3.* verba ejus hæc sunt: *Verum est Hebræos voluisse sequendam esse multitudinem, quæ reum liberare & absolvere cupit, etiamsi unico voto tantum major sit, non vero eandem, si damnet unico tantum voto superior existens. Si lis erat de pecunia, unum votum superius sufficiebat ad absolvendum reum, si de vita hominis, duo ad minimum majora esse debent reliquis.*

XIII.

Apud Athenienses, Lacedæmonios, Romanos aliosque id in usu fuisse, apparet ex variis scriptoribus, qui tunc temporis vixerunt, quos partim penes Grotium *cit. loc.* partim penes Bertramum *in dissert. de Comitibus.* imò plures penes Caspar. Klock. *lib. 1. Conf. 35. n. 287. & seqq.* invenies. Romanos illo jure usos fuisse ex variis legibus civilibus videndum est. *L. 160. §. 1. ff. de R. I. l. 2. 3. 4. ff. quod cujusq. univers. l. 19. ff. ad municip. l. 17. §. 6. ff. de recept. qui arbitr. Cicero lib. Epistol. famil. 8. epist. 2.* Prudentius sic de scribit morem Romanorum *lib. 11.*

*Si Consulta Patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Ter centum censisse senes legerentur in unum.
Servemus leges patrias, infirma minori
Vox cedat numero, parvaque in parte filescat.*

Et apud majores nostros idem quoque obtinuisse satis fuse ostendit Magnif. Dn. Conringius *in dissertat. de Comitibus Imperii Germ.*

XIV.

In Parlamento Galliaë & olim & hodie obtinuisse ex
B 2 variis

variis constat autoribus, præcipue vero ex Francisci Hotomanni *Franco Gallia cap. 27.* quamvis à tempore Ludovici XI. parum autoritatis habuerit Parliamentum Parisiense, teste Magnif. Dn. Conringio *dissert. cit. §. 4.* & ab eo rursus citato Hotomanno: plenius tamen hac de re videri potest Thuanus *hist. lib. 35.* In Senatu Sabaudico, supremo Senatu Lusitaniæ & apud Neapolitanos pluralitatem votorum quoq; obtinere ex variis terrarum illarum scriptoribus apparet, quos omnes hic recensere supervacaneum censeo, cum eos omnes quoq; habeat Caspar. Klock. *Conf. 35. n. 287. & seqq.* In Republ. Veneta singularis quidam modus suffragandi obtinet, quem eleganter describit Caspar. Contarenius *de Repub. Venet.* Sic quando eligunt v. gr. Senatorem, tum unusquisque reliquorum Senatorum nominat quem voluerit, deinde pro singulis in suffragia itur: isque cui plura contigerint quam reliquis, dummodo dimidium totius summæ excedant, electus renunciatur. Quod si vero Senatus vel decernere vel sancire aliquid velit, Senatorum suffragia in urnam jaciuntur, & sic sunt vota occulta, postmodum consiliarii illa numerant & id pro decreto habetur, cui plures, quam pars Senatorum dimidia, fuerint suffragati, fusius hæc habet Contarenius *cit. loc. lib. 2. §. 3.*

XV.

Quod jure Canonico quoque introductum sit hoc jus pluralitatis, haud pauci indicant textus. *Cap. 42. 21. 22. extr. de Elect. in 6to: cap. ult. extr. de iis que sunt à maj. part. cap. arg. cap. 1. vers. quod certa ibi extr. de his que sint à maj. part. cap. Cap. Ecclesia 48. vers. verum cum supra extr. de Elect. arg. non præstat 52. de R. l. in 6to.*

XVI.

Juris publici totius Germanici Imperii expressis sanctionibus

Etionibus idem hoc jus firmari constat. Expressis enim legibus cautum est, ut in *Imperii Comitibus* discrepantibus in uno vel altero puncto votis ad pluralitatem respectus habeatur. *R. A. zu Trier und Cöln anno 1512. §. es sollen auch die Chur-Fürsten. ib. oder mehrer theil auß ihnen R. A. zu Wormbs anno 1521. §. würde sich. R. A. zu Regenspurg anno 1576. §. da dann die Sachen Aur. Bul. tit. 2. §. und wann §. wenn aber sie / ib. als ob die Wahl von ihnen allen. Instrum. Pac. §. 18. 19. 20.*

XVII.

Idem in particularibus Germaniæ provinciis in usu esse, satis testatur experientia, optima rerum magistra, quam in rem etiam turba doctorum, adduci posset, si res vulgata & clara, luce indigeret. Hoc enim illud est, quod legitur in jure Saxonico, scultetum non aliter, nisi cum consensu majoris partis paganorum pro utilitate communitatis vel villæ, ordinationem condere posse & hoc vim legis obtinere, non obstante contradictione minoris partis *Sandrecht lib. 2. art. 55.*

XIX.

Ad personas pluralitatem votorum constituentes nunc transiens talem forsan formare possum propositionem: Quicumque in collegio quodam gaudent jure suffragiorum, illi omnes pluralitatem efficere possunt; sub qua illos præcipue subsumam, qui in Imperio nostro tali gaudent suffragiorum jure. Appellantur autem illi Status imperii *Reichsstände* & hos quoque dignosci debere ex suffragandi jure elegantissime ostendit *Dn. Conring. in dissert. de Germanici Imperii civibus.* Imo hocce jus in qualibet civitate veram essentiam civium constituere notat *Aristot. 3. Pol. cap. 1.* Quamvis hodie secundum *Recess. d. anno 1654. §. über dieses haben wir 197.* requiratur, ut pro-

vincias Imperio immediate subjectas possideant, adeo, ut hodie jus civitatis absque territorio consistere haud possit. Reinkingk. *tract. de Regim. Secul. & Ecclesiast. lib. 1. Class. v. cap. 10. n. 26.* Eos tamen recensere qui ad verorum civium censum olim pertinuerint & hodie pertineant ipse fatetur Magnif. Conring. *in disput. de Comitibus §. 11.* difficillimum esse, ut nullus etiam certi quidquam hac in re statuere queat: nec ullum monumentum quoque extare ex quo hoc ipsum verè innotescere possit.

XIX.

Nihilominus tamen Jacobus Lampadius *tract. de Republ. Rom. Germ. part. 3. c. 3. n. 23.* omnes ad certas & tres classes refert, quarum primam constituunt omnes Electores hique tam Ecclesiastici quam seculares: alteram efficiunt omnes Principes tam Laici quam Clerici imo Comites Barones Abbates & ejusmodi: tertiam vero Urbes Imperiales absolvunt Lampad. *cit. loc.* Quæ tres classes cum tria quoque particularia constituent collegia, quodlibet Collegium autem separatim deliberet, rectius infra de iis agatur, ubi rationem & formam computandi pluralitatem votorum explicaturus, simul ea ostendam, quæ institutis Comitibus in collegio Electorum Principum & urbium Imperialium circa pluralitatem observantur.

XX.

Personæ autem omnes jus pluralitatis habentes necesse est, ut ad actum aliquem in Collegio peragendum, legitime convocentur, hoc est, in locum aliquem publicum *L. 2. C. de Decur. l. pen. C. de legation. l. 2. C. de præd. Decur.* Magnif. Dn. Eichelius *in Comment. ad Reg. J. 160.* Dn. Struvius *in Syntag. I. Civil. Exercit. VII. §. 43.* Et uno eodemque tempore *l. 2. C. de Decur.* Nam uno eodemque tempore præsentem esse & in suffragium ire debent *l. pen. C. de legation.*

legation. Modus autem convocandi pro varietate loci quoque variat, in non nullis enim universitatibus & civitatibus municipalibus per sonitum campanæ aut tubæ convocantur, in aliis locis aliud quoque signum adhibetur. In nostro Imperio, si novus Imperator eligendus, Elector Moguntinus à primo die, quo sciverit Imperatorem mortuum esse, hoc simulque electionem futuram singulis collegis ac Electoribus literis patentibus uti vocant, significat. Eæ vero id in se continere debent, ut à die in litteris expressa infra tres menses continuos omnes & singuli Electores Francofortum ad Mœnum ad hunc Electionis actum se conferant. *A. B. tit. 1. §. setzen und ordnen wir.* Limnæus *tom. 1. Jur. Publ. lib. 2. c. 3.* Cui citationi hunc effectum tribuunt, ut si aliqui emaneant, nihilominus præsentés possint actum propter quem convenerunt, perficere *Bart. in l. 1. n. 3. de albo scribend. Authent. si omnes C. si minor ab hereditate abstinuerit. jung. tb. 22.*

XXI.

Porro requiritur in personis convocandis, ut legitimam habeant personam standi in Collegio h. e. ut habeant jus suffragiorum, quo ipso excluduntur mulieres, quæ cum ab omnibus publicis muneribus remotæ sunt *l. 2. ff. de Reg. fur.* (& ad illam Magnif. Dn. Eichelius, qui elegantissime illud variis argumentis demonstrat) ita quoque nec jus comitorum conventuumque publicorum & suffragandi habent, nisi specialis consuetudo aliud introduxerit, quæ præcipue attendenda est. *L. 6. pr. ff. quod cujusque univers.* Quamobrem interdum & fœminæ, ubi Collegium moribus habere possunt, ut in Monasteriis & multis Xenodochiis ac orphanotrophiis & similibus piis locis jus suffragii habent *arg. l. placet 17. C. de Epis. & Cler. Wesenb. ad tit. ff. Quod cujusq; Universit. nom. n. 4.* Pupilli quoque & impu-

impuberes in Collegio vocem habere non possunt, cum nec hi muneribus publicis recte adhibeantur *l. 12. ubi DD. C. de procurator l. 8. ff. de muneribus l. 6. §. 1. ff. de Decur.* In puberum ac minorum personis res videtur dubia. Wesenbecius tamen allegato loco, & ab eo adductus Speculator *in tit. de syndico n. 3. c. 13.* in actu eligendi syndici vocandos esse & suffragium habere statuunt, quia sacramentum universitati aut superiori præstare possint ac debeant *arg. 2. feud. 55. c. 1. in verb. Præterea si quis.* Atque ex justâ causa etiam publicis officiis admoveantur *l. 11. ff. de Decur.* nisi consuetudo in contrarium adsit, uti in imperio nostro, & quidem in collegio principum secularium, ubi pro minoribus ipsorum tutores vel potius Curatores vocantur. Monzamban. *de stat. Imper. Germ. cap. V. §. 25.*

XXII.

Quod si porro omnes sint vocati, omnes tamen non compareant, jure Civili requiritur ut ad minimum duæ partes Collegii adsint *l. 3. ff. quod cujusq; univ. nom. l. 2. §. 3. ff. de decret. ab ord. faciend. l. 45. C. de Decurion.* Sic si numerus collegii Duodenarius sit, ad minimum octo requiruntur, quorum conclusum, licet reliqui non adsint, neque veniant, ratum habetur *l. 3. ff. de decret. ab ord. faciend. l. 45. C. de Decur. l. 19. ff. ad municip. l. 3. 4. ff. quod cujusq; univ. nom.* Communiter tamen trahunt in numerum duarum partium illos non computari, qui vocari nolunt vel non possunt venire Nic. Everhard. *Cons. 100. n. 5.* David Mæv. *ad J. Lubec. lib. 1. art. 2. n. 26. §. seqq.* Ut autem duæ partes collegii adfuerint is quoq; in electionis negotio numerari potest qui eligitur: *l. 4. ff. quod cujusq; univ. nom.*

XXIII.

Quin & hoc addendum, si qui absentia, aut aliter impediti jure suo uti non possunt, eorum jus interim accrescere præsen-

præsentibus Grotius *de I. B. & P. lit. 2. cap. 5. §. 20.* Imò in Comitibus sæpius absentes præsentibus vices suas mandare & per eos suffragia dare consueverunt. Quid in supremo Judicio Spirensi circa sententias tum interlocutorias, tum definitivas, easque vel de principali, vel de litium expensis ferendas præsentibus assessoribus inter se dissentientibus, constitutum sit, ea de re videre est. *Ordinat. Cam. part. 1. cap. 13. §. und so sichs begeben.* Quod si alias Judicium aliquod constat ex tribus iudicibus, duo sententiam ferre non possunt absente tertio, quippe omnes judicare jussi sunt & tertius præsentibus in aliam forsitan sententiam pertraheret *l. 39. ff. de R. Judicat.* Præsentibus autem & dissentiente tertio duorum sententiæ statur *l. 30. ff. eod. lib.* Denique si ex pluribus iudicibus unus juret, sibi non liquere, hoc quiescente, reliqui qui consentiunt sententiam proferant, quia licet dissentiret, plurium sententia tamen obtineret. *l. 36. ff. de Re Jud.*

XXIV.

Quærent hic communiter, an Patris suffragium filio profit & vice versa, an frater fratri suffragium dare possit, & utrumque Ulpianus *in l. 5.* & Paulus *in l. 6. ff. quod cujusque universi. nom.* affirmant addita hac ratione, quod dederint suffragium non ut domesticæ personæ, sed ut Decuriones, nec enim consideramus in publicis vinculum domesticæ societatis, & in officiis publicis patria potestas & inde fluens juris fictio quod pater & filius pro unâ eademque personâ habeatur, non attenditur. *l. 9. ff. de his, qui vel alien. jur. Brunnem. ad l. 6. ff. quod cujusque Universi. nom. n. 3.* Imò si pater in causa filii Judex esse potest & contra *l. 77. ff. de studinis.* multo magis pater & per modum aggregationis parti pro filio votanti se adjungere poterit

C

poterit

poterit & contra Enenek. Baro *in tract. privileg. parentum & liberorum.*

XXV.

An autem aliquis sibi ipsi votum dare seque eligere possit majoris est Dubitationis. Et neminem cui Magistratum constituendi potestas data est, se ipsum eligere posse, licet alii eligenti calculum adjicere queat, constat *ex l. 4. ff. de tutor. & Curat. dat. l. ult. ff. de officio Præt.* Quod si tamen tres elegerint quartum ex numero suo, potest Electus in sui electionem consentire, ejusque voto numerus augetur. A. B. *Tit 2. §. ob dann der Chur-Fürsten drey. cap. cum. injure 33. extr. de Elect.* Sic enim Elector Palatinus Rupertus à Moguntino, Trevirensi & Coloniensi electus suæ electioni consentiens Imperator creatus est. Marquard. Freherus *in not. ad Petr. de Andl. lib. 2. c. 2. p. 8. Buxtorff. ad A. B. th. 39. lit. d.* Non autem licitum esse aliorum votis non auditis proflire & se ipsum suffragio nominare constat *ex A. B. alleg. loc. ubi Imperator Carolus ad hunc solum casum, si scil. quis à tribus Electoribus jam tum nominatus est, illud restrinxit; Proinde tale votum tanquam ambitiosum alias communiter rejicitur. arg. cap. per nostras 26. ibi quantumcunque idoneus: extr. de Iure Patronatus. Can. didicimus 31. ubi gl. verbo à se ipso ortus, Causa 24. Q 1. Arumæus. discept. 2. ad A. B. th. 22. p. 115. & seqq.* Quamvis de Sigismundo Imperatore scribat Dubravius *lib. 22. histor. Bohemic.* illum tanquam Regem Ungariæ, hucusq; dignitatis Regiæ causa primum votum habuisse, seque ipsum cum de nominando Cæsare rogatus esset, nominasse. Limnæus *Tom. 1. Iur. Publ. lib. 2. c. 3.* Simile quoque exemplum de Magistro quodam ordinis Teutonici refert. Æn. Sylvius *in Europa cap. 29.*

XXVI.

XXVI.

Quod si porro in Collegio aliquo suffragantium numerus sit par, vel licet sit impar unus tamen vel tres emanent, facile contingere potest, ut vota sint paria, quis igitur tum Deliberationis effectus sit, valde disputatur. Et si talis casus contingat in Imperatoris electione, tum nonnulli dicunt controversiam hanc per prælium definiendam Cranzius *lib. 9. Saxon. cap. 26.* Alii controversiam Duello à duobus istis in dissidio electis decidendam esse, statuunt. Henricus Zössner *disp. de Reg. Rom. elect. Concl. 11. fin. Vol. 4. disput. Basil.* Alii porro asserunt consuetudine receptum esse, ut in casu discrepantis electionis: uterque electus Imperium administret, donec alter ex illis per Papam fuerit reprobatus. *Cap. venerabilem. 34. extr. de Elect. & gl. Henning. Gøeden. tract. de Elect. Reg. R. cap. 7. n. 3.* Sed nec huic assentiendum, quia Pontifici Romano nullum omnino jus in electione Regum Romanorum concedendum. Magnif. Dn. Conring. *in Dissert. de Imperatore Rom. Germ. it. in Dissert. de Constitutione Episcop. Lehmann. Chron. Spir. lib. 5. cap. 68.* Melchior. Goldast. *Tom. 3. Constit. Imperial. pag. 409.* Cum igitur electio hoc in casu utpote non è Majore parte facta, nulla sit, nullum etiam operabitur effectum *cap. non præstat. § 2. de Reg. Jur. in 6to.* Nullum enim pactum nullam conventionem nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente, habet *l. 6. pr. & §. 1. C. de Legibus. l. 6. ff. qui satisfacere cog. l. 8. §. 2. ff. de bon. possess. contratab.* ita ut ne confirmari quidem possit Cacheran. *decis. Redemont. 34. n. 12. & Decis. 39. n. 11.* Proinde si Pars una ad alteram accedere noluerit, electio de novo instituenda erit. Arumæ *Diss. 2. ad A. B. §. 17. pag. 104.*

XXVII.

In judiciis vero si vota sunt paria ordinariorum iudicum, tum statur illi sententiæ, quæ pro libertate est vel alia causa favorabili, vel quæ Minorem summam continet. *l. 38 ff. de Re Judicat. cap. ult. extr. eod.* Sic si duo reum condemnent in 100. duo in 200, priorum sententia præfertur quia in 100 omnes consenserunt. *l. ib.* Imo si omnia paria ac vota etiam æqualia adsint, pro reo ferenda sententia, quia ejus partes favorabiliores. *Carpz. p. 1. Dec. 52. n. 30. & seqq. & p. 1. Jurispr. for. Const. 27. Def. ult.* Struvius *Syn- tag. Jur. Civ. Exerc. 44 §. 8. in fin. ex allegata Rennemanni Jurisprud. Rom. Germ. p. 4. D. 45. §. 13.* dicit, si hodie paria sint Collegarum suffragia, obtinere solere illa, quibus præses Collegii suffragium suum adjecerit quia tum Præfidis suffragium reliquis connumeratum majora efficit. *vid. Ant. Faber. lib. 6. Cod. Tit. 7. def. 4. n. 2. quem sequitur. Carpz. d. decis. 52. n. 15.*

XXVIII.

Personas jus pluralitatis habentes porro statim excipiunt res in quibus pluralitatis jus locum inveniat, in quibus non. Cum autem communiter certi aliquid ponant, postmodum demum excipiant, dico omnes res regulariter pluralitatem admittere, quæ Deliberationi subjiciuntur, quales illæ præcipue sunt, quæ ad τὸ κρείον five summam Reipubl. potestatem pertinent, hanc autem tres præcipue partes efficere notat Aristotel. *lib. 4. Pol. c. 14.* quarum unaquæque membra sua habet, quæ itidem ab Aristot. *1. Rhet. c. 4.* maximâ ex parte numerantur. Omnes tamen hic recensere supersedebo, cum hujus dissertationis modum meumque institutum brevitati destinatum excedant.

XXIX.

Ad publica porro negotia pertinere videtur, si Civi-
tas

tas bona quædam immobilia vendere velit, & tum regulari-
ter requiritur, ut alias solennitates nunc taceam, primū ut
duæ partes civitatis sint præsentés, deinde ut major earum
pars consentiat *l. ult. C. de præd. Decur. l. ult. C. de vendend.
reb. civ.* Nic. Losæus *de jure univ. p. 3. c. 5. n. 4.* Sic & loca-
tionem conductionem vel ex omnium consensu vel saltem
majoris partis civitatis fieri debere, eleganter colligitur ex
l. 2. C. de præd. Decur. Gall. Los. cit. loc. c. 7. n. 2.

XXX.

Privata negotia deliberationem & per consequens
votorum pluralitatem admittentia sunt tam judicialia
quam extra judicialia: Hæc vel maritima vel terrestria. De
maritimis unicum casum injure partim civili partim ma-
ritimo particulari expressum adjicere, nunc est animus,
quando nimirum jactus fieri debet ex justo naufragii metu
l. 2. pr. verb. nave laborante §. 2. ff. de l. Rhod. de pact. tum
primum institoribus & mercatoribus hoc communicatur,
eorumque voluntas, si adsint, de jactu faciendo explora-
tur. Vinn. ad *l. 2. cit.* & hic plurium consensus obtinet,
vid. cap. 11. l. L. Svecuarum de Jure naut. cum consuetudinis
nauticæ sit, jactum secundum majoris partis sententiam fi-
eri. Struv. *Syntag. Jur. Civ. Exerc. 20. §. 17.* Quod si non ad-
sint Mercatores ipsi vel institores, vel licet adsint
tamen consentire nolint, commune & ingruens pe-
riculum sociis reliquis, proponitur, quod & antiquitus ob-
servatum fuisse apparet ex *l. 6. Juris navalis Justin.* à Simon.
Schardio editi. Atque tunc etiam invitis mercatoribus
ex consilio majoris partis, nautarum jactus fieri solet & po-
test Joh. Marqv. *de jure merc. Tit. de L. Rhod. de jact.* Locc.
*de jure marit. §. L. 11. c. 7. Addatur Statut. Hamburg art.
2. von werffung und geworffenen Guth.*

XXXI.

Contra In actibus universitatis & Collegii, in quibus tractatur de rebus non tam ipsam universitatem, quam singula ejus membra concernentibus, non sufficit Majoris partis consensus, nec plures unum obligant *l. 11. ff. de servit. rust. præd. l. fin. C. de autor. præst. cap. quod omnes extr. de R. Jur. in 6to. Mæv. p. 4. decis. 201. num. 4.* quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, adeoque etiam univèrsim statuendum est, ut in omni omnino actu ille præcipue vocandus sit, qui interesse habet, & qui vocatus & præsens actui contradicere possit *Casp. Klock. lib. 1. Conf. 35. n. 309.* Singuli itaque intervenire & consentire debent, si de re tractatur, quæ ad omnes, ut singulos pertinet, quod adeo verum est, ut si centum adsint, quorum consensus requiratur, nonaginta novem uni dissentienti præjudicare non possunt. *l. 11. ff. de servit. præd. rust. cap. quod omnes. extr. de Reg. I. in 6to. Cardinal. Tusch. in lit. M. Concl. 15. num. 16. Hartmann. Pistor. Quest. 37. num. 11. lit. I. Cravetta de Antiquit. temp. num. 29.* Quare potior est prohibentis conditio in eo quod plurium commune est quasi singulorum. *l. Sabinus 28. ff. Com. Divid.* Hinc generale illud, ut nemo ex facto alterius prægravari debeat. *l. 33. §. 1. C. de Inoffic. testam.*

XXXII.

Accedit, quod ejusmodi negotia ex libero arbitrio ac voluntate singulorum membrorum in Univerſitate existentium dependere videantur, & sint merè voluntaria. Jam in voluntariis majorem partem universitatis nihil constituere posse, communiter tradunt, hinc dictum illud oritur, consensum majoris partis satis non esse, ut inviti alii devinciantur. *vid. Cravett. conf. 592. num. 20.* Et in talibus

libus actibus, majoris partis consensum plane non suffi-
cere, sed omnium consensum requiri, adeo ut & unius
contradictio obfit, notat Casp. Klok. *dict. Conf. 35. num.*
329. Et ab eo citat. quam plurimi DD. inde fluit si aliquod
jus in re pluribus ut singulis competat majorem partem
cæteris præjudicare non posse, sic consensus ad alienatio-
nem feudi à propioribus, licet numero pluribus, agnatis
impetratus remotioribus non præjudicat, quia ut singuli
jus quæsitum ac radicatum habent Struv. Syntag. Jur.
Feud. cap. 13. thes. 16, 18. Berlich. part. 1. decis. 15.

XXXIII.

Pariter se res habet cum civitate si pecuniam mu-
tuo sumere velit: tum enim non majoris partis sed omni-
um consensus requiritur, cum major pars adeo non re-
præsentet omnes cives, ut quid communi omnium ci-
vium consensu constituendum sit, id non auditis aliis ex-
pedire queat. Hartman. Pistor. part. 1. *Quest. 37. num. 5.*
Magistratus igitur accipiendo mutuum nomine commu-
nis civitatis regulariter non obligat civitatem vel bona
civitatis communia, nisi re prius deliberata & cum omni-
bus civibus vel saltem Tribunis plebis legitime convoca-
tis communicatâ istud fecerint, cum hi de consuetudine
Germaniæ in plerisq; fere civitatibus una cum Magistratu
integram civitatem ac omnes cives repræsentent, & vo-
cantur die *Gildenmeister die Viertels-zunft-oder innungs-*
Meister. Hisce enim ommissis vel exclusis, creditoribus istud
mutuum in rem communem civitatis ad utilitatem pub-
licam versum esse, probandum erit *l. civitas 27. ff. de reb.*
cred. Sibi Doctor. huc etiam facit textus in *L. ambitiosam*
4. junct. l. quod semel ordo 5. ff. de decret. ab ord. faciend.
Matth. Colerus *de process. execut. part. 2. c. 3. n. 349 359* Et
multis

multis seqq. ubi late & eleganter de mutuo civitatis contra-
hendo agit. Hoc tamen debitum ab universitate vel
civitate contractum non potest dici debitum singulorum
nec potest peti à singulis, quia non debetur à singulis,
sed universitate *l. 7. §. 1. & 2. ff. quod cujusque universi. nom.*
atque adeo executio pro ejusmodi debito non debet fieri
in bona singulorum, sed in bona universitatis. Johann.
Köppen. *quest. 60. num. 16. & 17.* Carpz. *part. 2. Jurisp. for.*
Const. 6. Def. 24. debitum enim universitatis non est debi-
tum singulorum. Klock. *Cons. 153. n. 40. Vol. 3.* nisi civitas
bona unde solvat, non habeat, quo casu civibus collecta
pro quantitate cujusque patrimonii per æs & liberam, vul-
go nach eines jeden Taxe/ imponenda est Köppen. *d. quest.*
num. 18. Idem obtinet in aliis universitatibus. Hartmann.
Pistor. *d. quest. 37. num. 26.* nec non in collegiis opificum
imò & in Ecclesiis, cum prælatus non nisi consensu ca-
pituli, & causa cognita nomine Ecclesiæ mutuam pecu-
niam accipere eamque obligare possit. *Nov. 120. c. 6. Auth.*
hoc jus porrectum. in fin. C. de SS. Eccles. Grat. disceptat. for.
cap. 196. n. 2. & seqq.

XXXIV.

In Imperio nostro publica sanctione quædam causæ
exceptæ sunt à Jure Pluralitatis, de quibus sic Instrum. Pa-
cis. *art. 5. §. 51.* *In causis religionis, omnibusque aliis negotiis,*
ubi status tanquam unum corpus considerari nequeunt, ut etiam
Catholicis & Augustanæ confessionis statibus in duas partes e-
untibus sola amicabile compositio lites dirimat, non attenda
votorum pluralitate. jung. art. 5. §. 9. Quam legem saluberrime
constitutam esse nemini dubitare licet. Non enim ma-
jorem partem votorum aliquid determinare posse circa
aliquod dogma fidei, facile dijudicamus, cum non sit e-
jusmodi

jusmodi negotium ubi Status tanquam unum corpus considerari possunt, & potius à divino quam humano arbitrio dependeat. Accedit, quod fides in cordibus hominum mediante auditu ac diligenti lectione verbi divini oriatur ac crescat, non vero ab hominibus proficiscatur, ut adeo rectæ rationi non videatur consentaneum, si quis in religionis causis pluralitatem votorum attendere velit. Quid alias immediatis Imperii Statibus circa hæc negotia in suis territoriis permissum sit, apparet tum ex pace religiosa de anno 1555. tum præcipuè etiam ex Instrum. Pacis Osna-brüg. art. V. §. 1. 29. 47. & multis aliis ejusdem articuli §§.

XXXV.

Porro in Instrumento Pacis hæc adduntur verba *cit. loc.* Quod vero pluralitatem votorum in materia collectarum attingit, cum res hæc in presenti congressu decidi non potuerit, ad proxima Comitiam remissa esto. Tales etiam plures quæstiones in proxima Comitiam dilata ac rejecta fuerunt. Sic i. Num unum & alterum decisum in Instrumento pacis per majora vota mutari possit: Num expressa quædam Imperii sanctio, beneficio cujus aliquis Status Imperii singulare aliquod jus sibi acquisivit, in illius præjudicium per majora vota mutari possit? Et ejusmodi plures, quas videmus penes Autorem der Grundfeste des H. R. Reichs part. 3. c. 7.

XXXVI.

Ob quas autem rationes causa collectarum eò remissa fuit, idem Autor *cit. loc.* habet, præcipuè vero ideo hoc factum est, quod Protestantes discedere noluerint à distinctione inter collectas Necessarias & Voluntarias, quodque in illis pluralitas voti locum habere debeat, in his vero non item & hanc sententiam firmo quodam fundamento niti haud obscure apparet ex *Cit. Dn. Conringii dissert. de Comitibus §. 56.* Interim olim collectas à regula majoritatis

D

exce-

exceptas fuisse, apparet ex *Recess. Imp. de anno 1598. §. 14. anno 1603 §.* Und damit sich niemand 20. *R. A. anno 1613. §.* So seynd wir auch. 4.

XXXVII.

In Imperio nostro, quotiescunque Electores vel Principes novam collectam à subditis exigunt: primum status suorum Electoratum vel Ducatum convocant, cum iis de collectione communicant, & hoc facto, collectam subditis imponunt. *Matthias Colerus. Cons. 1. pro civitat. Rostoch. contra Ducem Megapolitanum n. 233. & seqq. Nicol. Losæus: tract. de jure univers. part. 3. cap. 9. n. 11. Anton. Faber. in Cod. Decis. forens. lib. 9. tit. 29. def. 18.* Imò Principes inferiores subditos quidē urgente necessitate collectare posse omnium tamen consensum requiri habetur in *R. A. anno 1589. §.* Und das den Unterthanen zufoderst. *R. A. anno 1613. §.* Demnach sollen die Unterthanen/verb. auff vorbemelte ersuchung.

XXXIIX.

Hisce recensitis casibus alii adhuc plures addunt: sic abrogationem juris fundamentalis, juris ex Privilegio vel contractu singulis quæsitæ, causas ubi inter Catholicos & Reformatos ut partes litigantes disceptatur, ex pluralitate votorum decidi non posse statuit *Besoldus de Jurisd. Imper. quest. 15.* Quin *Bernhardus Bertramus* plures adhuc enumerat *in dissert. de Comitibus n. 73.* ubi tamen recte & hoc addit, quia sub hisce causis omnes fermè, quæ unquam in deliberationem in Comitibus instituendam cadere possunt, comprehenduntur, curæ Imperatori ac Statibus Imperii fuisse, ne in Rempubl. talis consuetudo introduceretur.

XXXIX.

Denique hic quærendum quoque est, quia *l. 19. ff. ad municipal. quod major pars Curie effecit pro eo habetur ac si omnes egerint* fundamentum juri pluralitatis suppeditat, an quoque locum habeat in delictis ab universitate sive civi-

tate commissis, ita ut si major pars civitatis vel universi-
tatis deliquerit, ipsam civitatem vel universitatem deli-
quisse, dicendum sit? Et negandum hoc videtur, cum ne-
mo ex alterius delicto gravari debeat *arg. l. 7. pr. §. 1. ff.*
quod cujusq; univ. nom. Imò tritum illud juris hic potius
applicetur, noxa caput sequitur *Instit. de Noxal. act. l. ult. ff.*
eod. l. 1. C. eod. l. 21. ff. Commodati l. 1. §. 18. Depos. l. 18. de furt.
Ut igitur universitatem deliquisse dici possit, necesse est, ut
omnes de universitate communicato consilio & præceden-
te deliberatione ad delinquendum coiverint, alias non ipsa
universitas, sed singula deliquerunt, & puniendi sunt. Di-
stinguendum forsàn ulterius hic erit inter delicta momen-
tanea, quæ uno eodemq; tempore perpetrantur, uti sunt
homicidia, & quæ causam successivam & longius duraturam
habent, ut rebellio, in illis communem approbationem &
simultaneam deliberationem requiri, in his vero non item:
quia hic rati habitio ad delinquendum sufficit, exactibus au-
tem successivis & continuatis, si verb. gr. universitas re-
belles connivendo fovet, præsumitur rati habitio, quæ man-
dato etiam in delictis nonnunquam comparatur. *L. fin. C. ad*
Sctum: Maced. l. 18. ff. Mand. Nic. Losæus lib. cit. part. 4. c. 1.
n. 18. & seqq. Satis enim factis ipsis declaratur, intentio uni-
versitatis & evidentius voluntas interdum hominis factis
quam verbis ostenditur. *Jung. Gail. lib. 2. de pace publ. c. 9. n. 32.*

XL.

Ad modum & rationem pluralitatem votorum com-
putandi nunc transiens: primum occurrunt non nulla re-
quisita in genere in votis pluralitatem constituentibus
consideranda: & 1. quidem requiritur, ut omnes qui jus
suffragii habent ad illum actum, de quo deliberatio in-
stituenda, ac decretum secundum majora vota faciendum
est, legitime citentur; alias majoris præsentium partis

D 2

con-

conclusum absentes non vocatos obligare nequit *L. 2. §*
ibi. Bartol. C. de decur. Dn. Mæv. part. 4. decis. 201. (2) ut
 actus, qui geritur, sit collegialis & ad universitatem, qua-
 tenus talem, pertinens, i. e. causa sit habilis. Quod si
 enim ad plures non ut ad collegium, sed ad singulos spe-
 ctet, in eo omnium consensus erit necessarius, uti hac de
 re plura in causis votorum pluralitatem admittentibus vel
 non, adducta fuerunt. *L. per fundum. 11. ff. de servit. rust.*
præd. Mæv. dict. decis. n. 4. Vincent. de Franch. decis. 2. n.
3. § seq. (3) Major collegii numerus h. e. duæ ad mini-
 mum partes in rebus magni momenti præsentibus esse de-
 bent illa enim decreta, quæ non legitimo decurionum
 numero facta sunt, non valent. *L. 2. 3. ff. decret. ab ord.*
fac. Reliquorum vero absentium jus accrescit præsentibus.
Hug. Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 20. (4) Uti in
 aliis negotiis ita etiam præcipue in Electionibus omnium
 vota debent esse certa nec conditionalia vel alternativa,
 & licet quis incertum votum ferat, illud tamen non facile
 est admittendum, suum enim finem deliberatio non ob-
 tineret, nec exitum habere posset. *Cap. in elect. 2. de Elect.*
& Elect. potest in 6to. Idem quoque in Imperatore eligendo
 observari debere notat *Buxtorff. ad A. B. concl. 43. lib. B.*
 (5) Vota regulariter ore proferenda non vero per litte-
 ras seu in scriptis mittenda. Quod etiam prudentissime
 in Imperatoris electione constitutum est *A. B. tit. 1. §. und*
welcher Chur-Fürst ibi: kommen oder seine Botschafft beschei-
den § tit. 4. §. wenn und wie oft ibi: zusammen kommen.
 Et hunc modum votandi Electores quoque in Electione
 Caroli Vri secuti sunt, uti protocollum habet, quod extat
 apud *Goldast. part. 1. Politischer Reichs-handel tit. 26. §. 41.*

XLI.

Utrum autem vota secrete inquiri debeant, quod qui-
dem

dem jus Canonicum in Electionis actu exigere videtur, cap. quia propter 42. ibi: *secretè extr. de Elect. cap. si quis 46. §. absens ult. de Elect. in 6to.* Nic. Eberhard. *cons. 39. n. 5.* Eâ de re attendendi erunt singulorum locorum mores ac statuta. Sane A. B. in eligendo Imperatore non videtur requirere, ut scrutinium secrete instituat, sed potius ex contextu ejus colligere licet, illud posse publicè institui, quia Moguntinus votum suum palam exprimit. A. B. *tit. 4 §. derer aller Stimme ibi. seinen willen und Stimme auch offenhahre.* Quod igitur lex non requirit id nec nos præcisè requirere debemus, *arg. l. 71. §. 5. ff. de acquir. vel amitt. hered. l. 7. C. de religios. & sumpt. fun. l. 4. C. de l. Dot. l. 25. fin. ff. ad Mancip.* sic in electione Maximiliani II. publice vota fuerunt collecta. Buxtorff. *tb. 42. lit. F.* Idem in electione Ferdinandi II. observatum fuisse patet ex Matenesio *de elect. ejus lib. 2. pag. 81.* Ferdinandus enim in aliud conclave secessit, ne videlicet suffragia Principum Electorum in suam personam conferenda coram audiret.

XLII.

Sexto, Vota præsentium ordine fiant, nec facile quidquam iis immisceatur, quod non directo ad præsentem causam spectet (7) suffragia quantum fieri potest breviter ferenda sunt, & rationes quædam ipsis addi possunt ac interdum debent, non tamen inutilibus allegationibus vel tædiosis repetitionibus sunt coacervanda (8) Sequentes in suffragantium ordine si nihil novi addere possint, aut velint, consensum suum per verbum PLACET vel simile declarent. *R. N. anno 1654 §. 148. verb. So hätten sie sich alleine per verbum placet zu erklären.* Certum demum tempus (9) interdum præscribitur quo & intra quod deliberatio tum inchoanda tum finienda est. Sic si Electores electionem Imperatoris distulerint intratriginta dies

à die præstiti juramenti continuo numerandos, pane tantum & aqua tam diu alendi sunt, donec voluntates eorum & suffragia in unum consentiant; *A. B. tit. 2. §. Wo sie aber das verziehen.* Eodem fere mitiori tamen modo, puniuntur Cardinales, si intra tres dies, postquam conclave intraverint non fuerit Ecclesiæ provisum de Pastore *cap. 3. §. in eod. autem palat. vers. Verum si (quod absit) intra tres dies Sc. de Elect. in 6to.* Et hæc videntur communiter requiri ad deliberationem in qua pluralitas votorum attendenda est. Ab hisce tamen requisitis mores & constitutiones singulorum locorum sæpius recedunt.

XLIII.

Ita in iudicio Cameræ Assessoribus certus votandi modus præscriptus est, qui videri potest apud Jacob. Blum: *in Process. Camer. tit. 75. §. 31. & seqq.* Præterea enim quod semper certus Assessorum numerus pro varietate causarum adesse debeat, requiritur, ut vota præsentium (quorum decretum habetur ac si hominibus fuisset prolatum) ordine fiant, nec quidquam immisceatur, quod non directo ad illam causam à Referente propositam pertineat, & Referens relatione facta statim votum suum superaddat, nec reliqui Assessores danda vota differant. *R. N. anno 1654. §. in alle wege 146.* Vota quoque Assessorum ita debent esse comparata, ne multæ juris allationes vel repetitiones illorum, quæ in relatione prolata, immisceantur. *R. N. anno. 1654. §. denen Referenten solle. 147.* Et ejusmodi plura requisita, quæ in *Recess. ult.* sunt constituta, à Blumio enumerantur *cit. loc. jung. Ord. Cam. p. 1. tit. 13.*

XLIV.

Quod vero ipsam majoris partis computationem attinet, illa non semper ex majori personarum numero, sed etiam ex earum qualitate ac quantitate rerum sæpius æstimanda

manda est. Nam in societate æqualium major numerus tantum præpollere debet; quod enim à plurium prudentiâ proficiscitur, majorem opinionem prudentiæ habet. Quod si autem singulæ societatis partes sint inæquales, fieri potest, ut voluntas unius, aut paucorum, qui in societatem plus contulerunt, dirigat eandem, obligetq; majorum numerum. Ampliff. Dn. Felden *in not. ad H. Grot. lib. 2. c. V. §. 17. ad verba: Habebat autem omnes.* Et hoc profert H. Grot. *in cap. 5. §. 22.* Sententiæ ad mensuram, i. e. Geometricam proportionem in societatibus, quæ fundamentum in re habent, æstimandæ, ac major numerus computandus est. Sic in casu supra posito, si jactus mercum metu naufragii fieri debet, tum ex majoris partis consensu hoc quidem fit, ita tamen non sumitur, ut solet in collegiis major numerus personarum sed secundum magnitudinem portionum, quas in navi habent vel etiam secundum majorem navigandi peritiam, cum periti demum de imminente naufragii periculo verè judicare possint. Const. Hans. *tit. 5. art. 7. Statut. Hamburg. art. 2. von Schiffredern.* Elegantem casum nobis quoque suggerit *l. 8. ff. de pactis* ubi itidem major pars pro modo debiti non pro numero personarum sumitur, hæc itaq; pars major ratione debiti potest præjudicare minori parti paciscendo cum debitore vel partem remittendo vel dilationem concedendo. Brun. *ad l. 8. ff. de pact. Et ab eo lit. Berlich. p. 2. Dec. 235.* Et remissionem hanc vel dilationem ex misericordia concessam esse, ut debitor interea temporis ad meliorem statum pervenire & citius debitum persolvere possit, notat Berlich. *d. l. n. 6.* Si autem minor numerus in id non consentiret, nullum effectum majoris partis intentio haberet, quod enim major pars remitteret, id minor ad se traheret. Brun. *cit. loc.* Aliud exemplum habetur in *l. 16. ff. de rebus autorit. jud.* Quando enim bona debitoris sunt

sunt distrahenda & res sine deterioratione dividi nequit, tum inter plures creditores, aliis præfertur is, qui est creditor majoris summæ, si nempe idem pretium offert. *l. cit.*

XLV.

Quin & hoc in modo considerandum est. Utrum majoritas votorum intelligi debeat habito respectu ad numerum idem suffragantium, an vero ad integrum collegium. Distinguendum est inter electiones, deliberationes & judicum vota. In Electionibus solet major pars intelligi respectu totius Collegii. Ita si in Collegio sint viginti quatuor, decem ex illis affirmativæ, octo negativæ, sex inter utramq; medii neutri astipulantur, tum nulla hic adest votorum pluralitas, & licet decem adsint, qui affirmant, reliqui tamen quatuor decim illis contradicunt. Sed in deliberationibus & votis judicum numerus respectu suffragantium attenditur: sic si decem pro reo, sex pro actore, octo mediam sententiam sequuntur, primi illi decem prævalere debent. Mævius ad jus Lübecens. *lib. 1. tit. 1. art. 2. n. 35.* Nic. Eberhard. *Cons. 39. n. 5.* Dn. Brunnem. *ad l. 19. n. 7. § 8. ad Municipalem.*

XLVI.

Ita etiam in electione Imperatoris majoritas non respectu eligentium, sed respectu totius Collegii Electoralis, intelligi debet, quia in A. B. constitutum, ut quis à majore parte ipsorum scilicet Electorum electus sit, *tit. 2. §. wo sie aber. ibi. ihrer mehrer Theil §. seq. ibi. wann aber sie oder ihrer mehrer Theil cap. Ecclesia 48. vers. verum cum super extr. de Elect. cap. 1. extr. de his quæ fiunt à majore part. cap. Arumæ. discept. 2. ad A. B. th. 16. Buxtorff. concl. 35. lit. E.* Et hæc potestas eligendi Electoribus quoque non competit ut singulis sed ut universis & collegio *A. B. tit. 4. wenn und wie offst/ ibid und wenn sie alle §. tit. 2. §. und wenn die Churfürsten ibid. es haben dann ihren.*

XLVII.

XLVII.

Quod autem tres classes statuum Imperii (ita distinctas anno 1489. impetrante Friderico III. Lehman. Chr. Spir. l. 7. c. 120. p. 997.) Electorem scilicet, Principium, civitatum Imperialium attinet, & quomodo in iis secundum pluralitatem vota ferantur, transgrediendum primum erit ad Electores vocatos olim die *Wahl-Fürsten* / *die Wahl-Herrn* / uti ex vetustis MSCtis adducit Illustriss. Gustav Selenius *tract. von Schachtspiel lib. 1. c. 6. in fin.* Illi igitur in collegio suo viritim suffragia ineunt: observato ordine ipsis præscripto à Carolo IV. in A. B. Tit. 4. §. wann und wie oft. & tam diu vota exquiruntur, donec vel omnium vota conspirent vel majora rem decidant. Magnif. Dn. Conring. *Disp. de Comitibus §. 16. Grundfeste des Hl. R. Reichs. part. 2. c. 4.*

XLVIII.

In secunda classe Principes omnes tam Politici quam Ecclesiastici, Prælati, Comites, Barones immediati comprehenduntur: alia tamen Principum proprie sic dictorum; alia Prælatorum, Comitum, Baronum suffragii ferendi ratio est. Prælati enim Comites, & Barones, Principes numero longe superant, adeoque sententiarum multitudine universæ classis jus ad se trahere possent, ideoque constitutum est, ut Principes quidem omnes & nonnulli Prælati, qui Principibus accensentur, viritim sua suffragia ferant, Prælati vero reliqui Principibus haud adscripti ac Comites Barones curiatim sententias dicant, hoc discrimine, ut Prælatorum Curia hodie duo, Comitum vero ac Baronum quatuor suffragia ferendi jus habeant. Magnif. Dn. Conring. *cit. Dissert. §. 50* & ab eo *cit. Limnæus Tom. V. Jur. Publ. in Addit. ad lib. 9. c. 1. n. 143.* Notandum quoque, quod Principum Politicorum familiæ quædam unum solum, quædam respectu diversarum linearum, duo tria vel quatuor vota habeant, ceu id patet ex Recessuum imprimis ultimi de anno 1654. subscriptionibus.

E

XLIX.

Civitates Imperiales tertiam classem constituunt, his enim votum decisivum non denegandum esse patet ex clarissimo textu *Instrum. Pac. Cæs. Suec. art. 8. §. Tam in universaliibus 4to.* Illæ itaque civitates in Collegio suo viritim sententias suas dicunt, & per majora concludunt. *Grundfeste des Hl. R. Reichs p. 2. c. 6.* Quod si jam tria illa Collegia particulatim decisum aliquod per majora collegerint, tum quodlibet Curiatum suum votum confert, & quid visum sit primario Collegio Electorali, Classi Principum communicat, & postmodum ad classem civitatum negotium quoque perfertur. Quod si autem Classes duæ priores in diversa abeant, quæritur num votum civitatum uni assentiens majora efficiat? Quod negandum primum esse videtur, tum enim civitatum arbitrio nimis multum relictum esset, quippe cum votum suum in hujus vel illius præjudicium pro lubitu dirigere possent. Affirmativam tamen omnes sequuntur, Curiata enim illa vota non tam pro decisivis quam Consultativis alias habenda essent: imò in omni collegio illi qui ultimo loco sua ferunt vota, licet majoritatem constituent, eos tamen in præjudicium priorum aliquid facere dici non potest. Prius itaque non sequendum, cum posterius sæpius observatum sit vid. *Autor. der Grundfeste part. 2. c. 8.* Et tantum de modo vota colligendi in nostro Imperio, qui num principiis Politicis respondeat, & an è re Reipubl. sit tali modo suffragia ferre, aliis ingenio doctrina & rerum usu pollutibus transcribo: Dari autem varios Comitiorum defectus circa vota, videre est apud *Autor. der Grundfeste pag. 3. cap. 4.*

L.

Nunc ultimo ordinis ratio postulat, ut de pluralitatis votorum effectu pauca dicam; & in genere ille est effectus pluralitatis, ut sententiis discrepantibus, suffragia plura prævaleant cæteris, & ita accipiantur, ac si in ea omnes consensissent,

sent, & hic terminus quoque est pluralitatis, ut multitudinem ad unitatem quasi redigat, sententiam à pluribus dictam invalescere ac prædominari faciat, cæteras viribus suis perimat, ac velut indictas reddat. Obligatio autem illa quæ exinde oritur non eos tantum obligat, qui Collegio illi in quo per majora quid conclusum, sunt subjecti, sed & singulos in illo Collegas, licet etiam ex numero illorum sint, qui contradixerint. Hi enim cum primum in numerum Collegarum recepti, non solum in receptionem illam consenserunt, sed promiserunt, quod conservatio Collegii ipsis maximè curæ esse debeat, hujus itaque ratione sunt obligati ad id, quod majori parti visum fuerit, cum hæc unice ad conservationem uniuscujusque societatis inventa sit.

LI.

Instar legis itaque conclusum à majore parte habendum esse, non est quod dubitemus. Quod si igitur ex paucorum opinione aliquid contra officium decernatur, ille actus ipso jure nullus est, cum omnis actus ipso jure nullus dicatur, qui formâ præscriptâ destitutus sit. *l. 5. l. de leg. l. 6. ff. qui satisd. cog. l. 8. §. 2 ff. de bon. possess. contr. tab. l. 12. C. de testam. T. T. C. de præd. Min.* Præjudicatur autem per majora reliquis ita, ut non attendita minoris partis sententia, protestatione, ac contradictione id obtineat, quod pluribus Placet, unde si in Avocatoriis Cæsareis tales clausulæ inseruntur, darzu uns wolermelste Chur-Fürsten einhellig ihren consens, dem herkommen gemäß / unter ihrent Handschrift und Siegeln gegeben / tum plane non attenditur annuo vel altero dissentiente hoc fuerit factum, sed simpliciter quasi omnium consensu comprobatū sit, *Arumæ. de Comitibus c. 3. n. 36.*

LII.

Præjudicatur & illis per majora, qui ad deliberationes quidem vocati sunt, comparere tamen nolint, sed emaneant, tum enim cæteris sive præsentibus, jus est obligandi absentes, idque ex præsumpta absentium voluntate, videntur enim reliquis præsentibus quasi vices suas demandasse & juri suo renunciasse.

Mar.

Mar. part. 4. decis. 207. adeo, ut secundum Doctores statuto non possit introduci, ut major pars non concludat. Klock. vol. 1. consil. 28. n. 45. & seq. Barbof. in Axiom. lib. 11. c. 4. axi. 2. Ricc. decis. 316. Imò præsentibus licet pauciores absentibus (tamen vocatis) ad actum perficiendum nonnunquam sufficiunt. *Autb. si omnes C si Min ab hered. abst. arg. l. 7. ff. quod cujusq; uni v. nom.* Et in publicis quoque idem observari certum est, quamvis enim major pars Electorum abesset, nihilominus tamen reliqui præsentibus licet pauciores ad Electionis actum sufficiunt & electionem instituire possunt. *A. B. Tit. 1. §. und welcher Chur-Fürst. c. quod sicut. 28. §. si autem extr. de Elect. c. quia propter 42. dist. Tit. Buxtorff. ad A. B. th. 25. lit. F. Rumelin. p. 1. Dissert. ad A. B. 3. th. 10. p. 40.*

LIII.

Per majora quoque & illis præjudicatur qui quidem sunt præsentibus, votum tamen ferre recusant, hos enim itidem nihil efficere vel majori parti non obstare, colligere est ex *l. 195. ff. de R. I.* cum enim illa, quæ expressa sunt, tantum noceant, illi vero, qui præsentibus sunt & votum majori parti nocere non posse. Idem ferme dicendum de votis Indifferentium, seu ut vulgo vocant, Neutralium. Et in electionibus talium vota plane non attendenda esse, satis constat, ibi enim vota certa esse debent non Conditionalia nec in differentia *arg. c. 2. de Elect.*

LIV.

Finis deniq; pluralitatis votorum est & esse certe debet, salus societatis sive civilis sive alius, in qua & de cujus negotiis deliberatio est instituta, omnis enim deliberatio in bene constitutis Rebuspubl. ad salutem non solum imperantium, verum etiam parentium ac subditorum collimare debet, & intendere ut si non omnibus, saltem plerisque bene sit: Et cum Aristoteles *lib. 7. Pol. c. 14.* omnem vitam in negotium & otium, bellum & pacem dividat, deliberantes id curare debent, ut utrumque tempus ad communem utilitatem recte possit gubernari.

LV. Et tanrum ratione propositi mei de hac materia dixisse sufficiat, siquidem ubertatem amplissimæ hujus materiæ non respiciens ex gravi & urgente causâ brevitatem sequi coactus sum, imò non alium in finem præsens hæc disputatiuncula à me etiam conscripta est, quam ut sit quale quale specimen, mei in hac Academiâ per triennium & quod excurrit non frustra impensi laboris. Nec quoque tam ignarus sum meæ tenuitatis, ut de arduis, quæ in Imperio nostro de majoris partis jure agitantur, controversiis, judicium mihi sumere audeam, sed potius pleniorum & accuratiorum argumenti hujus tractationem aliis ingenio & rerum usu pol-

lentibus relinquo.

F I N I S.



* * *

ANDREÆ FRIDERICO RUDOLPHI

paternarum virtutum æmulo, J. U. Docto-
randa clarissimo

S. P. D.

JO. ANDR. Schmidt SS. Th. D. PP.

Bonarum artium origines & progressus qui
altius repetere voluerit, illarum matrem ma-
gistramque fuisse paupertatem, easdem vero
aluisse honorem, atq; à tam levibus initiis,
gradibusq; ab imis ad tantum, quo nunc florent, fastigium
surrexisse, ex vero deprehendet. Duro namq; necessi-
tatis telo compulsi ad studia homines, fama & titulorum
splendore posthac allecti intactum reliquerunt nihil: cer-
tissimo argumento, quod illustria ingenia pulchritudinem
ac speciem excelsæ magnæq; gloriæ vehementissime appe-
tant,

tant, dum contra curvæ in terras animæ quærendam primum esse pecuniam arbitrantur. Solum nomen ad studia accendit erectos, cum alios impellat ad alia numus. Optimum hoc dici studiorum nutrimentum non ego miror, si naturam paucis esse contentam, si huc respexisse omnes illos, quibus placuit honores constituere Academicos, ne studia æternum sepulta jacerent, si alia plura mecum reputo. Id vero doleo, multos quidem sollicitam illam atricem ambire, non tamen pede æquo ejus pulsare fores. Impense tamen simul gaudeo, quando aliquos duntaxat video, qui improbo labore virtuti suæ nihil sinunt invidium & per laborum anfractus ad honorum adyta progrediuntur. Horum in numerum si Te Clarissime DN. RVDOLPHI, quem natura de meliori luto formavit, fortuna fovit & bona perfecit institutio, non ea, qua par est, ratione adscriberem, virtuti ipsi inferrem injuriam. Ex quo enim vitalem hanc auram Gothæ haurire cepisti, majorum tuorum imagines ad optima queque te excitant. Nomina RVDOLPHORVM, HAKENBERGIORVM, GERSTENBERGERORVM & ZIEGLERIORVM, illa apud Magdeburgenses & Gothanos, hæc vero apud Erffurtenses notissima, notes tibi insomnes facere potuerunt. Accedebat cura optimi Parentis, studia tua committentis in Gymnasio vestro moderatoribus clarissimis, HESSIO, TENZELIO, RVM.

RVMP ELIO , VOKERODTIO aliisque de re
literaria egregie meritis. Quo ipso factum fuit , ut ani-
mus notitia linguarum & artium rite prius instructus, le-
ctiones & exercitationes Academicas cum fructu adire
potuerit , & alios multis post se relinquere passibus , qui
illotis manibus easdem involare solent. Prolixum nimis
foret , Tuos apud nos labores , & eleganti ordine &
proficua varietate susceptos , pluribus recensere. Pau-
cis tamen istos referre mihi licebit , ut tuo exemplo mone-
antur alii , quantum juvet , si in Academiis nulla dies ,
nulla hora sine linea studioso aufugerit. Per omne tem-
pus , quo nobiscum fuisti , clarissimo fratrum **BÖH-
MERIORVM** pari , Te ita adhasisse scio , ut illo-
rum alterum in omnibus collegiis publicum privatumque
habueris Doctorem & tandem disputationum Grotiana-
rum **XX.** praesidem : **VVIDEBVRGIVM** Eucli-
dis elementa Geometriae explicantem : **MEIBOMIVM**
Historiam Principum Saxoniae inferioris recensentem :
ac praecipue **Ictorum** ordinis Professores omnes **VVERL-
HOFIVM**, **EISENHARDTVM**, à **BOEKEL-
LEN**, **ENGELBRECHTVM** secutus es sem-
per , neque ullam partem in juris curriculo neglexisti. Re-
liqua tacere malo , ne meum quoque nomen his inserere
necessum habeam. Omnia haec profecto testantur , ardo-
rem quo studia aggressus & laborem quo eadem continuasti
ad

ad hoc usque tempus, sua habuisse alimenta ex honoribus, quos sapientissimi Academiarum fundatores, strenuis studiorum cultoribus conferri voluerunt. Hos etiam, cum non ita pridem ab incluto Ictorum ordine modeste petisses, ita obtinuisti, ut judicaverint jure tibi deberi, quos tanto labore promerueras. Sic ergo nunc damno cessante lucrum cernis emergens, quod ut tibi non duntaxat sed & patriæ salutare sit, temporisque successu illius interesse ultra alterum tantum excurrat, ex animo voveo. Redi ad tuos bono omine & universis exemplo ostende, quales in hac studiorum officina formentur animi, si tui similes ad nostram fuerint missi institutionem. Vale atque omnes nomini meo faventes saluta. Deproperabam inter alias occupationes Helmstadii Saxonum
M DC XCVIII.



ULB Halle


3


002 100 274



WDA







ACADEMICVS
DE

39
7675, 7a
8

LITATE DRUM


E M
ENTE GRATIA

RÆSIDIO
ENGELBRECHT
PER. ET IVR. CRIM.
C IVLIA PROFESSO-
DINARII DN. PATRONI,
VUNCULI ET HOSPI-
IVM COLENDI

in disquisitioni subjicit

ORUS CONERDINGIUS
od. Fil.
utor

M JUNII
IVLEI AUDITORIO



ESTADII,
IS MÜLLERI Acad. Typogr.

IO IO C LXXV.

